



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vitæ Pontificum Romanorum**

Ex Antiquis Monumentis Collectae

**Sandini, Antonio**

**Bambergae, 1753**

CCXXXV. Paulus V. Anno Christi 1605. Rodulphi II. 29.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65477)

oppressus non potuit præstare, quod  
promiserat. (1)

## ANNOTATIONES.

(1) Baronius ad an. 1187. §. 20. Au-  
gustinus le Blanc Hist. Congregat. *De*  
*Auxiliis divinæ gratiæ* lib. 4. cap. 1.

CCXXXV.

PAULUS V.

ANNO CHRISTI 1605.

RODULPHI II. 29.

**P**ost mortem Leonis XI. Cardina-  
les comitia Pontificia habuerunt  
non sine contentione. Ante diem Spond.  
XVII. Kal. Junii anno 1605. Ponti- an. 1605.  
ficem creant *Camillum Burgesium*, qui §. 2.  
*Paulus V.* dici voluit. Hic statim  
controversiæ de *Auxiliis* dirimendæ An. 1606.  
curam suscepit. Verum post sexde- §. 1. 2. 4.  
cim habitas congregationes suspen-  
sa omnia reliquit, indicto utrique par-  
ti silentio. Per idem tempus inter  
eum & Rempublicam Venetam con-  
troversia exstitit. Causam dedere  
Clerici duo à Decemviris in iudicium  
vocati ob gravissima crimina, & car-  
cere detenti, insuper delata ad Pon-

Q 9 9 4 tifi-

tificem duo Senatûs Consulta, quorum altero Ecclesiasticis omnibus interdicebatur facultate acquirendi res non moventes, altero autem cavebatur, ne Ecclesiæ, Xenodochia, Monasteria extruerentur, néve Religiosorum novi cœtus ac societates instituerentur Senatu inconsulto. Controversia utrinque disceptata, eoque demum res devoluta, ut in Imperium omne Venetum interdictum; Ecclesiasticum indiceretur. Sed mox Henrici IV. Galliarum Regis operâ dissidium, interdictumque sublatum. (1) Eodem tempore damnavit Paulus formulam jurisjurandi ab Jacobo I. propositam Britannis, cujus summa erat, ut eum haberent pro Rege Britanniae, legitimo ac supremo, profitentes, ne Pontificem quidem Romanum posse ei Regnum abrogare. Catholicae Fidei propagationi ac defensionis consulturus edixit, ut in cujuslibet Ordinis & Instituti Regularium Studiis omnibus essent Linguarum Hebraica, Graeca, & Latinae, in majoribus verò ac celebrioribus etiam Arabicae Doctores. (2) Constitutioni, quam vocant in Cena Domini, Coma-

An. 1607.

§. 2.

An. 1610.

§. 9.

Comaelum inferuit. (3) Vaticanum D. Petri templum absolvit porticu, aliisque operibus adjunctis. Vaticanam quoque Bibliothecam amplificavit, ornavitque. In Basilica Liberiana sacellum splendidissimum ædificavit Virgini Deiparæ, *Burbhesum* postea dictum ab ejus cognomine. Vias stravit, fluvios pontibus junxit, & aquam in agro Braccianensi saluberrimis fontibus collectam, veteribus aquæ Alsietinæ ductibus restitutis, novisque adjectis, XXXV. ab milliaro duxit in Janiculum, Urbemque *Leoninam*. (4) Acquievit anno ætatis sexagesimo nono, Christi 1621. V. Kal. Februarii post annum Pontificatûs quintum decimum, mensem octavum, diemque duodecimum.

An. 1621.

§. I.

## ANNOTATIONES.

(1) Hæc omnia ex Andreae Mauroceni Hist. Rer. Venet. lib. 17. cujus initio ita profert memorata duo Senatûs Consulta; alterum anni 1605. XVII. Kal. Aprilis, quo cavetur, ut, quod à majoribus anno 1536. in Venetiarum Civitate ac Ducatu sancitum fuerat, id in reliquis Reipublicæ Civitatibus ac ditionibus servaretur, ut nullus testamento, venditione, aliâve

Q 995

causâ

*causâ bona immobilia perpetuò Ecclesiasticis relinquere, vendere, alienare inconsulto Senatu queat: biennio transactio bonis divenditis pretia eisdem pro Legibus venditis assignentur: alterum anni 1603, IV. Idus Januarii, quo ne Ecclesiastica Xenodochia, monasteria exstrui, nec novi Religiosorum cœtus, ac societates que Senatûs permisso induci possint, gravissimis pœnis prohibetur. Eadem habet Ignatius Hiacyntus Amat de Gravelon in Hist. Eccl. tom. 8. colloquio 2.*

(2) Constitut. 65. §. 2. tom. 3. Bullarum pag. 252.

(3) Constitut. 63. §. 20. Ibid. pag. 250.

(4) Lege vitam Leonis IV. p. 258.

CCXXXVI.

GREGORIUS  
XV.

ANNO CHRISTI 1621.

FERDINANDI II. 3.

GREGORIUS XV. cui *Alexandro Ludovisio* antea nomen, Bononiensis, annum natus septimum & sexagesimum, V. Idus Februarii an. 1621. Pontifex dictus est. Huic & fœdus Christianorum Principum con-

Spond.  
an. 1621.  
§. I.